



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Synodus Osnabrugensis, ejusdem Episcopi quarta, celebrata Iburgi, XII  
Decembris MDCL.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

S Y N O D V S  
O S N A B R V G E N S I S

Q V A R T A,

P R A E S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe  
ac Domino,

D. F R A N C I S C O  
G V I L I E L M O,

E P I S C O P O E C C L E S I A E O S N A B R V G E N S I S ,  
N E C N O N R A T I S B O N E N S I S ,  
M I N D E N S I S , A C V E R D E N S I S ,

S. R. I. Principe, Comite de Wartenberg & Schaumburg,  
Domino in Wald & Hachenburg,

C E L E B R A T A I B V R G I ,  
xii Decembris M D C L .

I N D E X  
eorum, quæ in hac Synodo continentur.

**O**rdo & cærimoniæ Synodi.  
Designatio Parochorum.

Constitutionum Synodalium

CAP. I. Ingressus Decreterum.

CAP. II. De Ecclesiis.

CAP. III. De his, quæ Pastores concernunt  
in Ecclesiis.

CAP. IV. De personis Parochorum quo-  
ad se.

CAP. V. De personis Parochorum quoad pro-  
ximum.

CAP. VI. De Pastoribus Orthodoxis, in  
quorum Parochiis Exercitium A. C. publi-  
cum, vi pacis publicæ, in Germania tol-  
erandum.

ORDO ET CÆRIMONIAE  
S Y N O D I .

**N**T primum Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Osnabrugensis, D. FRANCISCUS GUILIELMVS, vi pacis publicæ in Germaniâ, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, die trigesima Novembri, Diæcesi sue Osnabrugensi, manu hostili, partim anno tri- gesimo tertio, partim anno quadragesimo septimo, sibi ablata, restitus fuit; vix ad tres quatuorve dies Iburgi substiterat; & mox operi manum ad- movit; vineam Domini, quam seru aper depastus fuerat, ut restaurare posset, omnem adhibuit con- sumum; ac idcirco superstites adhuc Orthodoxa fidei Parochos, omnes exiles, ad diem duodecimam Decembris Iburgum citari mandavit, Synodum, non Diæcesanam quidem, sed territorialem celebraturus. Compaxuerunt ad præsumptum tempus singuli, & præter eos nonnulli ali; qui in locum defunctorum, aut aliorum non Catholicorum, vi pacis publicæ, surrogati fuerunt.

Die itaque duodecimo Decembris, habito prius Sacro de Spiritu sancto in Ecclesia S. Clementis Iburgi, per Dominum Abbatem Iburgensem, ad horam nonam matutinam in aulâ majori Abbatie Iburgensis, in qua Illustrissima Sua Celsitudo, ob destruetam suam hostili furore Residentiam Episcopalem, tunc commorari debebat, omnes compa- ruerunt. Præsumib[us] omnibus, Illustrissimus, indutus rochetto, cruce pectorali, mozetta, & byredo rubro, comitabilis Illustrissimam Sua Celsitudinem Domino Abbat[em] Iburgensi Iacobo Thorwarth, & Officiali Curie sua Episcopalis Osnabrugensis, Domino Ioanne Bisshopinck, I.V.L. & Canonico ad S. Ioannem Osnabrigi, nec non quibusdam Patribus, tam Dominicanis, quam bri-

ctioris observantie S. Francisci, dictam aulam in- gressus est, & mox genuflexus inchoavit hymnum, Veni Creator Spiritus. Post primum versum decantatum, surrexit Illustrissimus, & reliqui omnes, quod prædictus hymnus absolutus fuerat. Finito hymno, Illustrissimus subjunxit Collectan, Adsumus Domine, ut in Pontificali. Post hec per dimidie horæ spatiis Latino sermone ad Cle- rum presentem peroravit. Quo finito, denuo citati omnes ad horam secundam pomeridianam; ac deinde Illustrissimus, modico spatio genuflexus, cum reliquo Clero, opem & assistentiam Spiritus sancti humillimi ad Deum precibus imploravit; & comitatus à suis, discessit.

Hora secunda pomeridiana, loco eodem, coram Illustrissima sua Celsitudo, Domino Abbat[em] Iburgensi, D. Officiali Osnabrugensi, & aliis diversorum Ordinum Religiosis, singuli de Clero præsen- tes, soli evocati fuerunt, ut ad sequentia Interroga- toria responderent: Quale nomen, cognomen, quos habeant Ordines; ubi & à quo ordinati; quando expulsi, seu ejeci hostili manu ex suis beneficiis & officiis Ecclesiasticis; cui rei & quoisque studue- rent; quantum antehac habuerint numerum per- sonarum, communicantium, Catholicorum, heterodoxorum; quales reditus, qualia paramenta, & alia Ecclesiistarum jura; item ubi & quomodo hactenus in exilio vixerint, sese sustentarint; testimonia desuper vita & morum exhibentes. In specie etiam pro cura animarum examinati, & Parochiis singulis preficiuntur.

DESIGNATIO  
PAROCHORVM.

IN Cathedrali Ecclesia Osnabrugensi S. Pe- tri, Conradus Burenius, ad S. Ioannem ibi- dem Canonicus.

In

In Collegiatâ S. Ioannis Osnabrigi, Ioannes Wernekinck.  
In Bisendorff, Iacobus Lixinger, Ordinis Prædicatorum.  
In Rulle, Ioannes Plisker, Ordinis Cisterciensium, in Campo Mariæ professus.  
In Behlem, Ioannes Brinckman.  
In Wahlendorf, Christophorus Sack.  
In Schledehausen, Bernardus Eilers, Ordinis S. Francisci stricioris observantiae professus.

*Decanatus Reckenbrugensis.*

In Civitate Quackenbrugensi, Christophorus Strengerus, SS. Theologie & Medicinæ Doctor, & Decanus ibidem.  
In Gutterflo, Ioannes Sprengerus, Canonicus item Collegiatæ Ecclesie SS. Ægidii & Caroli Imperatoris in Widenbrug.  
In Langenberg, Hermannus Volmari.  
Ad S. Vitum, Ioannes Camen, Canonicus item Widenbrugensis.

*Decanatus Iburgensis.*

In Iburg, P. Hermannus Berckhove, Ordinis S. Benedicti, & in Conventu Iburgensi Prior.  
In Glaen, D. Abbas Iburgensis, Iacobus Thorwarth.  
In Laer, Hermannus Geistman.  
In Glandorff, Hermannus Otting.  
In Hagen, Theodorus Mauriti.  
In Borcklœ, Henricus Langen.  
In Ozede, Baldwinus Busch.

*Decanatus Fürstenauensis.*

In Quakenbrugge, P. Antonii Heiken, Ordinis S. Francisci stricioris observantiae professus.  
In Berßenbrück, P. Ioannes Wennincck, Ordinis Cisterciensium ex Campo Mariæ.  
In Ankum, Rudolphus Brieckwede.  
In Alshaufen, Lucas Beckman.  
In Nienkerken in Hulse, Iacobus Borgel.  
In Battbergen, Ioannes Ioannis.  
In Voltlage, Lambertus Swierman.  
In Swasdorff, Bolardus Bolardi.  
In Merssen, Ioannes Christianus Klinckhamer.

*Decanatus Vordenensis.*

In Vorden, P. Iodocus Gerhardi, S. I.  
In Nienkerken, P. Ioannes Zurstrassen. *SI*  
In Damme, Bernardus Morhaus.

*Decanatus Gronenbergensis.*

In Melle, P. Bernardus Loper, S. I.  
In Gefnell, Gerhardus Schulte.  
In Rimlo, Ioannes Brogberen, I. V. L. Can. in Coll. SS. Ioannis Bapt. & Euang. Ratibona.  
In Wellingholthausen, Hermannus Hoffhaus.  
Ad S. Annam prope Melle, Bernardus Hamhove.

*Decanatus Hunteturgenensis.*

In Hunteturgen, P. Henricus Freitag, Ordinis Prædicatorum.  
In Osterappelen, Ioannes Busch.

## DECRETA SYNODALIA,

Pastoribus intimata, xiii Decembris M D C L,  
in Synodali conventione Iburgi.

**F**RANCISCVS GUILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, &c. omnibus orthodoxis Pastoribus animarum, qui sunt in Ecclesia Osnabrugensi. Gratia vobis, & pax à Deo, Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi nos consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo: quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Verbis hisce S. Pauli Apo-

stoli, merito & apte vos alloquimur. Tribulationes & passiones cum Christo & propter Christum sentimus, ultra septendecim annos, graves. Superavimus eas gratia Dei, qua data est nobis, ut denuo vocaremur in opus ministerii divini, Pastores scilicet animarum, sanguine Iesu Christi redemptarum. Cui officio quomodo satisfacere, & eà vocatione, qua vocati estis, digne ambulare possetis, antehac tam ex sacra Scriptura, quam ex cœcumenicis Conciliis, Statutis Metropoliticis, Synodibus etiam, tam Prædecessorum nostrorum, præsertim Cardinalis Zollerani, quam nostris, vobis observanda quedam propoluimus. Cum autem jam & bella, & mutationes regiminis, mores alienigenarum gentium, domina-

B b 3 tiones

tiones exterorum , variarum rerum confusio-  
nem , in hoc ovili Nostro , non parvam fece-  
rint ; ideo pro primâ vestrâ directione , se-  
quentia vobis intimamus Decreta , usque dum  
integrâ & debitam Synodus generalem to-  
tius Nostrâ hujus Dicecisis , solito more ac lo-  
co , celebrare possumus , & ea , quæ necessaria  
in Domino ulterius videbuntur , constituere  
valeamus .

### CAP. I. *Ingressus Decretorum.*

**P**RIMO itaque scopum ac intentionem vo-  
cationis suæ , status , obligationis , promis-  
sionis , ac respective professionis , singuli in-  
dies , in omni loco & occasione , præ oculis  
habeant , ut alios , maxime sibi subjectos , ver-  
bo & exemplo doceant , &c , dum aliorum fa-  
ludem querunt , propriam non perdant . Pro-  
inde triplex officium suum agnoscant ; unum ,  
quomodo gerere se debent quoad Deum  
& Ecclesiam ; alterum , quoad sé ; tertium ,  
quoad proximum , maxime curæ suæ com-  
missum .

Cum autem hæc omnia facili negotio ac  
debite promoveri possint , si prædictæ Confi-  
tutiones sacrorum Conciliorum , præsertim  
Tridentini , item Metropoliticae ac Synoda-  
les , exactè observentur ; hinc omnibus & singu-  
lis serio mandamus , ut illas semper ad ma-  
num habeant , diligenter legant , & in omnibus  
sequantur : &c , quoniam , in hac nostra Ger-  
mania , jam pax stabilitas varias continet , in  
Instrumento , sic dicto , circa Ecclesiasticos &  
Ecclesiastica decreta legemque , per pacem  
publicam impositam , ordinationes ; eis non  
contraveniant . Verum , circa tria proposita  
capita , hæc , pro ratione temporis , & princi-  
pio , specialia ordinamus .

### CAP. II. *De Ecclesiis.*

**I**N primis quoad Ecclesiæ , cum ad eas  
accesserint , statim in eis procurent  
munditatem ; &c , quæ ritum Catholicum vel  
impedit vel ei contrariaint , tolli current .

**2** De Custode , diligenti , Catholico ,  
ac pio ; nullo crimine notato , sibi provi-  
deant , &c , ut moris est , assumant , vel assum-  
faciant .

**3** Idem est de Organista , Ludimagistro ,  
Provvisoribus , si haberi possint qualificati . Si  
etiam ex antiquis , tempore belli ejectis , vel  
mutatis , qui per Nos admissi fuerant , super-  
fint , & fideles Deo & Nobis manserint , ac  
qualificati sint , restituantur .

**4** Aquam baptismalem singuli , juxta A-  
gendam & ordinationem , quomodo extra  
tempus Paschale fieri debet , statim benedic-  
tant . Baptisteria , si quæ suis locis remanse-  
runt , diligenter prius purgent ; si non adsint ,

in vase aliquo stanneo eam , clausam , ac non  
nisi in Ecclesia , affervent .

**5** Similiter pro venerabili Sacramento Ta-  
bernacula sint nitida , munita seris ; quæ refici  
debent , si opus sit ; semper etiam clausa sint ,  
& solus Pastor claves penes se habeat .

**6** Parि ratione hinc vascula pro sacris  
oleis accipient , &c , diligenter clausa , in Eccle-  
sia affervent .

**7** Fabricas Ecclesiæ & turrium , uti &  
cœmeteriorum munimina , diligenter inspi-  
ciant , aut à peritis inspici faciant ; defectus no-  
tent , & Nobis transmittant .

**8** Similiter in supellecile sacram , ca-  
lices , patenas , monstrantias , pyxides , casulas ,  
albas , humeralia , cingula , stolas , manipulos ,  
missalia , corporalia , mappas altarium , agen-  
das , cantionales libros , candelabra , candelas ,  
inquirant ; & defectus quamprimum suppleri  
faciant , prout de facto quantitatem eorum  
hic confici & parari curavimus .

**9** Ante omnia à Prædicantibus & Custo-  
dibus moderni temporis omnia inquirant ; &  
de illis , ibidem in ejecione relictis , restitu-  
tionem petant , ac responderi faciant .

**10** Ecclesiæ & cœmeteria , antequam di-  
vina ibi fiant , juxta Rituale Romanum recon-  
cilientur . Quem in finem , aquam Gregoria-  
nam , per Nos benedictam , hinc accipere po-  
terunt in vasis mundis , & aliam postea affun-  
dere , non tamen in majori quantitate . Alta-  
ria , utrum violata sint , examinent ; &c , si qua  
inveniant , hue pro habendis portatilibus mit-  
tant . Similiter calices , quibus Acatholici uſi  
sunt , huc pro reconciliatione portari suo tem-  
pore faciant .

### CAP. III. *De his , quæ Pastores concernunt .*

**I**Habitationis , seu domus dotis , petant  
restitutionem ; uti & registra Provi-  
soribus , quod redditus Ecclesiæ , exigan-  
tur ; & per eos , quorum interest , dies determinen-  
tentur ad reddendas congruas rationes .

**2** Si Acatholici huculque detentores ali-  
quid , ratione agriculturæ , prætenderint , vi-  
deant ; &c , consideratis circumstantiis , ita  
convenire studeant , ne pax & tranquillitas in  
hoc Nostro Episcopatu lœdatur ; quod si non  
possint , Nostros Officiales pro interpositione  
& iustitia implorent .

**3** Quod si alia quæcunque prætenderint  
amovendi , ad Nos pro resolutione remit-  
tantur .

**4** In omnibus servent Calendarium no-  
vum Gregorianum , quod anno millesimo sex-  
centesimo quinquagesimo , iterum continuis  
temporibus imposternum , vigore pacis publi-  
cae , retinendum , publicavimus ; & observari  
faciant festa à sibi commissis .

**5** Sta-

5 Statas horas , confuetas processiones , & omne exercitium , tam publicum , quam privatum , diligenter observent ; uti & solitas cantiones Germanicas , antehac à Nobis approbatas , & in usum deductas , ante & post conciones , sub Sacris , Catechismo , & aliis temporibus , decantari faciant .

6 Ad festa Natalitia , quæ modo instant , rite celebranda , ad confessionem , & sacram communionem in iis recipiendam , subditos moneant & moveant .

#### C A P. IV. De personis Parochorum quoad se.

1 IN omnibus se præbeant exemplum bonorum operum , in doctrina , in integritate , in gravitate ; verbum sanum , irreprehensibile ; ut is , qui ex adverso est , vereatur , nil habens malum dicere de ipsis .

2 Scandala & occasiones vitent . unde concubinatus , potationes , ebrietates , rixæ omnes , eliminentur .

3 Orationi instantes fint ; continue occupentur studiis , præsertim controversiarum , caluum & concionum , vel etiam qualibuscumque honestis exercitiis , ne otio subjaceant .

4 Domesticam curam non præponant curæ animarum .

5 Breviarium Romanum quotidie recitent .

6 Missas sèpius in septimana celebrent , juxta constitutiones Synodales ; confiteantur , & testimonia exhibeant .

7 Præparent se ippos jam ad festa , magno zelo & proposito .

8 Se mutuo solentur , ac consilio & auxilio juvent ; consilia ab aliis peritis , in rebus gravioribus , petant ; Decanis suis & Camerariis obedient .

9 Si quid violentiae vel oppositionis & difficultatis à secularibus sentiant , Officiatos Nostros implorent .

10 Quilibet faciat designationem & numerum suorum subditorum dextrè .

11 Omnes Nobis statum Parochiæ , singulis quindecim diebus , transmittant in scripto , vel viciniores ore tenus referant .

#### C A P. V. De personis Parochorum quoad proximum .

1 IN concionibus servent Euangelium præscriptum .

2 In iis contentur etiam potius moralia , & quæ doctrinam spectant , proferre .

3 Allaborent , ut fundamenta fidei bene explicitent .

4 Scholas bene disponant pro parvulis .

5 Catechismum habeant , etiam in concionibus adducant .

6 Conentur , omnes ad orthodoxam fidem reducere .

7 Sèpius etiam ipsorum domus visitent , ut conversatione eos acquirant .

8 Ægrotorum curam diligentem habent ; præsertim ne fine Sacramentis , Pœnitentiæ , Eucharistiæ , & Extremæ unctionis , decadant .

9 Curam etiam habeant Catholicorum , in vicinis Parochiis , ubi Prædicantes Augustanæ Confessionis sunt ; ipsis ad suam Ecclesiam & accipienda Sacraenta invitent , in fide confortant ac solentur , & foveant libere , prout pace publicâ Germaniæ continetur .

10 Inquiliinos suos , qui sunt alienæ fidei , publice & privatim instruant , moneant , urgeant .

11 Bono exemplo , sanâ doctrinâ , & morum suavitatem , contentur reducere eos , qui hoc belli & exilii tempore , non ex levitate vel fundamento aliquo , sed coacti , deseruere Catholicam religionem .

12 Non se familiares nimium Prædicantibus Acatholicis faciant ; non verbis scabiosis in ipsis invehantur , sed tantum ut docere videantur in mansuetudine ; compotaciones cum ipsis , & alia , fugiant .

#### C A P. VI. De Pastoribus Orthodoxis , in quorum Parochiis exercitium Augustanæ Confessionis publicum , via pacis publicæ in Germaniâ , tolerandum .

1 H Oras , pro Officio divino constitutas , observent .

2 Et , quo magis acatholicis Ministris cohabit , eò magis supra dicta observent .

*Leclis bisce Decretis , Illustrissimus modico spatio omnes sui officii & circa Pastoralis communis ; ac in Domino hortatus est , ut vocationi , qua in sortem Dei vocati sunt , satisfaciant ; quod si quis tamen nonnulla adhuc propozenda habeat , ea ipsa , die sequenti , coram Illustrissima Sua Celsitudine exponeret , & ulteriora mandata exspectaret . Sicque hec Synodalis conventio finita , & per Illustrissimam Sua Celsitudinem solemniter benedictione omnibus genufluentibus data , singuli dimissi ad propria redierunt .*

*Et quia Ego Ioannes Brogberen , I. V. L. Collegiata Ecclesiæ S. Ioannis Baptiste & Evangelistæ Ratisbonæ Canonicus , & Pastor in Rimlo , a supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præside in Altuarium hujus sacre Synodi deputatus fui , Decretorum Synodalium promulgationi reliquisque in eâ perractatis interfui ; idcirco iisdem Decretis , in fidem eorundem , propriâ manu subscripsi . Acta sunt hec anno , a partu Virgineo , millesimo sexcentesimo quinquagesimo ,*

Bb. 4 Pon-

296     S Y N O D V S   O S N A B R V G E N S I S .

Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri INNOCENTII X sexto ; diebus , mense , & loco , quibus supra ; presentibus venerabilibus ac eruditis Dominis , Antonio Zollinger , & Nicolao

Schaberg , Cathedralis Ecclesiae Osnabrugensis Vicariis , ac repective Sacristano & Notario publico , testibus , ad hoc specialiter requisitis , & fide dignis.

Ioannes Brogberen , I. V. L. Capellanus major Illustrissimi Osnabrugensis , Canonicus Collegiate Ecclesiae SS. Ioannis Baptiste & Euangelistae Ratisbona , Pastor in Rimflo , & Actuarius canonicorum Ecclesiasticarum , ad hoc specialiter deputatus , subscriptus .



D I O C E -